

Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XLI. Canonorum instituta in Ecclesia laudabilia, & leges de illis
salutares.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Oeconomus qui res Ecclesie dispensat, pauperum dispensator.

Vicedominus ille in Episcopatu dicitur, qui in Ecclesiis particularibus Oeconomus.

Syndicus qui lites persequitur, & iura Ecclesie controuersia defendit.

Cellarius. Cellarius cui vini dispensatio, & crebro frumenti, aliarumque rerum est commissa.

Sunt & Parochi, Vicarii, Capellani, Pensionarii, Orphanotrophii, qui omnes ex necessitate, & utilitate Ecclesie constituti debent. Sed de his speciatim agendum est, quemadmodum de Canoniciis.

CAPVT XLI.

Canoniconum instituta in ecclesia laudabilia, & leges de illis saluatares.

S. I. CANONICORVM officium est canonicè viuere. de consecrat. dist. 5. c. 34. In omnibus igitur (quantum humana permittit fragilitas) decreuimus, ut Canonici clerici Canonicè uiuant, obseruantes diuina scriptura doctrinam & documenta sanctorum patrum: & nihil sine licentia episcopi sui, vel magistrorum eorum in composita agere presumant, in vnoquoque episcopatu vt simul manducent & dormiant, vbi his facultas faciendi id suppetit: vel quo de rebus ecclesiasticis stipendium accipiunt, in suo claustro mancant: & singulis diebus mane primo ad lectionem veniant, & audiant officium canonicorum. quid eis imperetur. Amen sam vero similiter lectionem audiant, & obediunt secundum canones suis ministris exhibeant.

Canonici clericorum honoratiores sunt; dicti sunt, vel quod secundum canones Apostolicos, & conciliorum uiuant, vel quia relati sunt in canonem, graeci δὲ ἐκ κανόνων, hoc est, in album Ecclesie relati, vt statam annonam consequantur, vocemque & ius dicendae sententiae in capitulo habeant; Κανονικοί harmonici, qui primas partes rationi tribuebant, à pythagoricis dicebantur.

Dicuntur iidem praebendati, quamuis praebenda larius pateat, quam canonicatus. Praebenda olim dicebantur, quae Parochi legatis publice missis praebere tenebantur, Horat. ser. Satyr. 9.

Proxima Campano ponti, qua villula tectum Praebuit, & parochi quae debent ligna, salemque.

Praebenda igitur dicitur in Ecclesia ius Ecclesiasticum, (nam de laicalibus praebendis non agimus) recipiendi certos prouentus annuos in Ecclesia, propter ministerium diuinorum officiorum, quod obit, is qui fructibus praebendae viuunt. Huic iuri cum est adiunctum ius suffragii in capitulo, si reliqua adsint, vocatur praebenda canonialis; quamuis enim canonici aliqui non sint in capitulo, habent tamen praebendas canonicas, sed aliqua causa obstat, quo minus admittantur.

Ad praebendae fructus igitur legitime suscipiendos opus est habere titulum, & legitimam possessionem, deinde vt diuinis in officiis, quibus deputatus est, versetur. Beneficium enim datur propter officium. Ita omnes fundationes, omnesque canones.

S. 2. Canonici solent triplicia stipendia dari: Nam vel annua sunt, & corpus vocant; vel diurna, quas praesentias appellant; quae solis praesentibus distribuuntur. Denique sunt quaedam collectae à capitulis, praeter corpus, & praesentias, quas fructus mensuales nominant, haec distribuuntur pro arbitrio canonicorum. Quia vero quorundam auaritia tanta est, & cum auaritate iunctus torpor, vt omnibus in locis venient praebendas, vno quidem in loco resideant, ad alia collegia colligendorum fructuum causa proficiantur, consultum foret, quandocunque, & vbi-cunque fieri potest, corpora in praesentias commutare, aut saltem minuere corpora, augere praesentias. Verum de hisce deinceps agam.

S. 3. Canonicatus, & praebendae in vniuersum duplices sunt. Aliae sunt Cathedrales, aliae secundariae ecclesiarum, vnde inualuit illa distinctio, vt dicatur Clerus primarius, qui in aede cathedrali Deo seruit, secundarius qui in aliis collegiatis Ecclesiis. Solent etià praebendae & canonicatus vocari beneficia; quia beneuole dantur ab Ecclesia, & gratis, cum gaudio recipientis, & dantis, duo autem continent, ius fructuum recipiendorum, & obsequii Deo exhibendi obligationem. Datur autem beneficium propter officium. Ideo cum cessat officium, subtrahitur beneficium; & cum retinetur abdicato officio, iniuria Deo, & Ecclesiae inferitur. Ego in paucas leges totam rationem conferri posse puto.

Lex 1. In beneficii collatione nihil collator sibi retineat, nihil speret, non obsequium, non pecuniam. Quia Deo ministrum constituit, non debet in re sacra saenerator esse, & sibi partem ex patrimonio Ecclesiae vindicare, multo minus serui Dei officia cum Deo diuidere.

Lex 2. Resideant in suis ecclesiis. Ideo enim & fundatae sunt, & priuilegia acceperunt ab Imperatoribus, tit. de clericis non residentibus. Hoc loco hortescio referens, quando fraudes, quae Deum miseri homines circumuenire satagunt, recorder. Iam olim hoc malum coepit, vt magnos prouentus parum, aut nihil agendo conquireret cupiditas. Quotus quisque debet more praesens est? Sed audiamus patres nostros, anno 1286. in concil. Ratiennati sub Honorio quarto ita definitum est. Rub. 5. Dignum est, vt quos ad vine decora, domestica laudis exempla non reuocant, saltem correctionis medicina compescat. Sane relatu comperimus plurimorum, in nonnullis ecclesiis nostrae provinciae, consuetudine obseruari, & in aliquibus aliis constitutione firmatum, vt praeter redditus beneficiorum, & praebendarum, de quibus nihil ad praesens volumus immutari; prout quotidie resident, redditus aliquos alios, tantum in ecclesia residentes, pro rata residentia, quam in ecclesia faciunt, percipiant: & quod ad huiusmodi consuetudinem & statutum, quidam praua interpretatione obaudientes, ac minus, quae Dei sint, cogitantes, in animarum suarum periculo; dum tamen in camera sua resideant, dato quod intrent in ecclesiam ad diuinum officium celebrandum, tantum semel in mense, ipsos redditus specialiter ob fauorem residentiae deputatos, vt Deo, & ecclesiae seruiantur, & diuina laudis organa, in ipsa, horis singulis decantentur sibi vsurpant, propter quae generatur grande scandalum proximorum, qui ecclesiae militant, prout debent, ac refrigescit in eis laudabile propositum, quod habebant.

Ne igitur culpam illorum efficiamur participes, ipsa praua interpretatione summo, ac tali consuetudine obseruata, statumimus declarando, & statuendo declaramus, vt illi tantum dicantur in ecclesia residentes, quoad praemissos redditus, qui distribuuntur, prout quotidie resident, seu sit bladium, seu vinum, siue sint pecunia, vel alia bona; qui in ecclesia sua confratribus aliis horis debitis pensum seruutis nostrae, videlicet matutinum, laudes, primam, tertiam, sextam, nonam, vespers, completoriumque, persoluerint: alioquin percipiant ex ipsis redditibus, nisi prout seruiamus ecclesiae, iuxta ordinationem nostram, infra proxime annotatam. Et vt hac constitutio inuolubiter seruetur, volumus, & sub excommunicationis poena mandamus, vt infra duos menses à die publicationis praesentis concilii computandos, omnes & singuli clerici ecclesiarum nostrae provinciae, vbi sunt plures clerici ordinati, & tales sint redditus, de quibus supra praemisimus, hanc teneantur constitutionem sacramento firmare, & omnes etià qui in posterum assumentur, antequam ad redditus admittantur. Vbi vero in ecclesia redditus tales non sunt, diocesani locorum in synodis suis, quos eos contigerit celebrare, provideant, prout secundum Deum melius poterunt, ne in ipsis ecclesiis, horis canonicis, officium negligatur. Quod si maior de Capitulo, vel vbi omnes sunt pares, qui proximo ipsis clericis praest, non fecerit hoc sacramentum praestari sui beneficii periculo subiacebit, multandum per provinciale concilium, seu superiorem ipsius, vel per alium, qui hoc possit.

Cessante officio subtrahitur beneficium.

Gratis danda praebenda.

Residentia.

Qualis residentia.

In camera residentes accipere fructus.

Sacramento rediguntur ad residentiam.

Proximum

Leges valde
salutares,
& zelum
diuini ho-
noris ha-
bentes.

Proximum superscriptum Concilium, in quantum rite possumus, ordinare & declarare volentes, statuimus, vt infra duorum mensium spatium, à die publicationis huius Concilij ordinetur, quot, & quantum habere debeat, qui matutino interfuerit, & aliis horis Canonicis, ex redditibus, de quibus supra proximo Concilio est pramissum, vbi tales sunt redditus. Et quia in specie dare in hoc doctrinam non possumus, prout Ecclesia plus abundenter, alia vero minus, prout possumus, prouidemus hoc modo, videlicet, vt qui matutino interfuerit, duplum eius habeat, quod habebit, quicquid in Missa. Qui autem Tertia, & Sexta, medietatem eius habeat quod ei fuerit datum in Missa: Et idem in Nona seruetur, quod est in Tertia & Sexta pramissum. Qui autem in Vesperis, & Completorio, tantum habeat, quantum qui Missa interfuerit, secundum pramissa. Vt clare intelligas, suppose quod decem denarii, distribuendi indies pro quolibet Canonico: de ipsis decem denariis dabis ei, qui interfuerit matutino, denarios quatuor: qui Missa, duos: qui Tertia, & Sexta, vnum: Et vnum, qui Nona: & qui Vesperis interfuerit, & Completorio, dabis duos denarios, vt dedisti in Missa. Verum quia nec sic est, secundum quod pramissum est, ad plenum contra dolosum prouisum, qui venire possent ad horas Canonicas, non tamen hora debita, & si in hora debita, non tamen starent, quousque officium compleretur, contra eos statuimus, vt is dicatur matutino interesse, qui ad Ecclesiam venerit, antequam Venite, cum hymno cantetur, cum hymnus dicitur: alias cum dicitur, Venite, cum primo psalmo; ex quo hymnus tunc non cantatur, & steterit, quousque Prima completa fuerit. Qui Missa, antequam canteretur Kyrieleyson, & steterit, quousque fuerit finita Missa, qui Tertia, Sexta, Nona, Vesperis, & Completorio, antequam psalmi incipiantur, & steterint, quousque dicta hora fuerint perfecta, aliter nihil percipiant. Quicumque autem contra fecerit, prater reatum perituri, teneatur ad duplum illius, quod perceperit, restituendum Ecclesie, cui seruitium debitum est subtrahendum, conuertendum in ornamenta ipsius Ecclesie.

Eadem deinde anno 1317. multo vehementius in Rauennate Concilio tractata, & definita sunt.

Toti officio
interfit, qui
absens as-
sistari non
vult.

Non possum quin Concilij Basilicenf. sess. 21. verba adscribam: Qui in matutinis ante finem psalmi, Venite exultemus, in aliis horis ante finem primi psalmi, in Missa ante ultimum Kyrieleyson, vsque in finem diuino officio non interfuerit, nisi forte necessitate cogente, ac petita & obtenta a prelide chori licentia, discedere oporteat, pro illa hora absens censetur, salus ecclesiarum consuetudinibus, si que forte circa hoc archiores existant. Idem in his obseruetur qui à principio vsque in finem in processionibus non permanserint. Pro cuius executione deputetur aliquis, onus habens notandi personas singulas statuto tempore non conuenientes, iuramento adstrictus agere fideliter, & multipliciter. Iubet etiam hac sancta synodus, quod in illis ecclesiis, in quibus singulis horis certo distributiones statuta non sunt, omnino etiam de grossi fructibus, si opus sit, deputentur, vt iuxta mensuram laboris plus minusue quisque capiat emolumenti, tollens prorsus abusu illud, quo in vna dumtaxat hora praesens, totius diei distributiones vsurpat: & illum quo Praepositi, vel Decani, aut alij officiales, ex hoc solū, quod officiales sunt, licet actualiter pro veritate ecclesie non absint, quotidianas distributiones percipiunt.

Seria Mo-
guntine sy-
nodi confi-
tutio.

Iam supra mentionem feci concil. Moguntini sub Sebastiano anno 1549. in quo c. 72. his verbis res imperatur. Cum Apostolus victu, adeoque ipsa vita, indigne iudicet homines ociosos, qui panem non labore suo parant, cum grauiamine aliorum edunt: quanto grauiori indignationi diuina eos subiacere putandum est, qui census Ecclesie, sanctorum Martyrum patrimonia & donaria pie plebis, ad diuini Ministerij sustentationem collata, otiose absumunt, pro iis debita ipsis ecclesiis obsequia rependere non curantes? Nos igitur periculo animarum obuiare, & necessitati ecclesiarum consulere volentes, praesenti statuto decernimus & ordinamus, ne post hac in Metropolitana, Cathedralibus, Collegiatis, aut quibuscumque aliis nostris, & nobis subiectis ecclesiis, per vniuersam prouinciam constitutis, quotidiana distributiones ad breuissima quadam momenta, puta ad lectionem

Epistola, seu vnius Psalmi, aut Responsorij: sed integris ac totis officiis, & horis assignentur, & iis modo tribuantur, qui officiis diuinis, de quibus emolumenta dantur, ab initio ad finem interfuerint. Hi vero qui excusati & recursum suos ita pariter conseruerint, vt de laboribus minimum, de emolumentis autem plurimum perciperent: in posterum nisi integris officiis, & horis interesse studeant, illius officij aut horae fructu in totum mulcentur, quibuscumque irrationabilibus aut prauis consuetudinibus (quae potius corruptela censenda sunt) non obstantibus. Si qui tamen infirmitate aut legitima causa impediantur, apud Praelatum aut alium, cui de Ecclesie consuetudine competit, se excusent, & veniam absentiae suae impetrent: Canonicos vero, per actus Capitulares ab ingressu chori, quamdiu Capituli interfuerint, & non diutius, excusari volumus. In qua re Decanos ecclesiarum, aut quibus ea cura pro tempore incumbit, monemus, eisdem precipientes, ne, extra necessitatem, Capitula indicant in eam horam, qua diuina officia peraguntur: cum possint aut maturius, aut serius Capitula haberi, vt ipsi seriam Praelati & Canonici diuinis officiis commodius interesse queant. Quos utique, supra chori officia, quae ipsis incumbunt cum vicariis communia, actuum Capitularium labor grauare non debet: cum supra communes distributiones, de praebendis suis ampliore etiam emolumento potiantur.

Simili modo distributiones, quae de processionibus percipiuntur, his modo dari volumus, qui eisdem ab initio ad finem praesentes interesse perseverauerint.

Et ne beneficia per ecclesias debitis obsequiis fraudentur, omnibus beneficiorum possessoribus, sub amissione beneficiorum, iniungimus, vt ordines, quos eorum beneficia requirunt, si nondum habent, proximis temporibus à iuris statutis recipiant: Ad quod etiam Canonicos Ecclesiarum, pro suo quemque ordine teneri volumus, vt obsequium, quod quisque pro officio sui exigentia ecclesie debet, cum res postulat, per se praestare queat.

Eodem modo Mediolanen. s. c. de residentia multa grauissime sanctissimeque sancit. & Mediol. i. de residentia. Videatur de hisce sessio 6. Trident. synodi.

Lex 3. A Laico beneficium nemo accipiat. Cum secundum Apostolum, nemo sibi debeat honorem assumere, nisi tanquam Aaron à Deo fuerit vocatus, hoc minus considerant, & attendunt, suae salutis oblit, qui se intrudunt ad dignitates Ecclesiasticas, vel beneficia, & eligi & intrudi procurant per potentiam laicalem: Volentes igitur talibus & similibus remediis quibus possumus obuiare, statuimus & districte prohibemus, ne quis talia de cetero presumat attentare, vel attentari sustineat, vel procuret. Et si quis contra fecerit, non solum non confirmetur, nec instituitur, sed omni spe promotionis, in tota Rauennate prouincia, per dioecesanum similiter exuatur: & nihilominus ipso facto sit excommunicatus, & omni privilegio ecclesiasticae protectionis, ac defensionis exutus sit.

Laicus sa-
crum dare
non potest.

Lex 4. Non modo pro beneficio nihil petatur, sed ne sponte oblatum recipiatur; nec ea conditione vt is qui accipit, ad nutum vel dantis, vel alterius cedat. Mediol. i.

Lex 5. Qui sic dederit, iure dandi, nominandi, praesentandi priuatur, imo & eligendi; qui acceperit fructus suos non facit, Mediol. i. §. Quae pertinent ad beneficiorum collationem.

Accipiens
nisi iure
priuatur.

Lex 6. Accepturi beneficium iureiurando Simoniace se non egisse, affirmant. Sicut in Mediol. i. §. Neminem autem vel praesentatum, vel nominatum, vel electum, vel ab inferioribus prouisum prius admittant, aut instituant Episcopi, quam infra scriptum iusurandum ab eo exegerit. Ego N. praesentatus, vel electus & c. ad beneficium N. iuro per sacrosancta Dei Evangelia, quae meis manibus tango, neque me beneficii obtinendi causa, aut vt ad id praesentarer, vel nominarer & c. neque quemquam alium meo nomine aut consentiente, vel sciente me, quidquam collatori, patrono, seu alii cuiuspiam ea de causa promississe, aut dedisse, aut compensasse, aut prius datum confirmasse, vel apud quemquam deposuisse.

Iusurandum
omnibus ec-
clesiis in-
iungendum.

Neque mutuo dedisse, vel locasse, vel prius mutuo datum commodat-

commodatum, locatum, aut quocunque modo debitum remississe, aut relaxasse. Nec de domibus, terris, prædiis, redditibus eius ecclesie, fructibusque, decimis, aut oblationibus eiusdem præteritis, presentibus aut futuris donationem, remissionem, locationem fecisse, promississe aut iniussisse; aut alium, mandante, vel consentiente me, promississe, fecisse, aut iniussisse. Ita me Deus adiuvet, & hac sancta Dei Evangelia.

Lex 7. Internuncii Simoniacorum plectantur, notarii, aduocati, procuratores, interpositores, fideiuliores. ibidem.

Lex 8. Ambitiose petens biennio careat, itemque qui nondum vacante postularint.

Pluralitas
beneficiorum
venia.

Lex 9. Vniplura neddentur. Antiqua & sæpe repetita lex, sed quæ sæpe violatur; multi possident plura, pauci sunt, qui non cupiant plura.

Ego primum statuta legesque Ecclesie, deinde meam sententiam proponam. Nam depræbendis, & dignitat. c. iam dudum statutum: ut primum beneficium ipso iure amittatur, si aliud recipitur. Et de elect. c. dudum, retatur ne sine dispensatione obtineatur. Itaque duo statuenda sunt: Primum pluralitatem grauissime prohibitam esse, præsertim in curatis. Secundum dispensari in ea lege posse. De primo igitur statuunt Patres, Concilia, Pontifices. Concil. Claromontanum anno 1095. sub Urbano 2. c. 22. *Vi nulli clericorum liceat deinceps in duabus ciuitatibus duas præbendas obtinere, cum duos titulos non possit habere.* Iam vero titulum multitudo honori ducitur. Et appendix Later. vbi Alexander 3. Burdegalensi scribit. *Vt alterum eius Archidiaconus resignet.* Et Lateran. sub Innocentio 3. c. 29. *De multa prouidentia fuit in Lateranensi Concilio prohibitum, ut nullus diuersas dignitates ecclesiasticas, & plures parochiales ecclesias recipere contra sacrorum canonum instituta.* Alioquin & recipiens, sic receptum amitteret & largiendi potestate confersens priuaretur. Quia vero propter presumptiones, & cupiditates quorundam, nullus habentis fructus, aut verus deprædicto statuto prouenit, nos euidentius, & expressius occurrere cupientes præfenti decreto statuimus, ut quicumque receperit aliquod beneficium, habens curam animarum annexam, si prius tale beneficium obtinebat, eo sit iure ipso priuatus, & si forte illud retinere contendit, alio etiam spoliatur.

Iam viginti
titulos ha-
bent.

Plura cu-
rata habens
sit ipso iure
priuatus.

Vbi de duobus curatis tantum agitur, non simplicibus. At Concil. Salisburg. sub Greg. 10. de omnibus agit. Cum in provincia Salisburg. diuersi clerici secularis non ponentes terminum avaritie, nec salutem propriam prætententes, onerare se pluribus beneficiis ecclesiasticis non formidant, nos, qui aliorum indigentis, & saluti occurrere cupimus, & ecclesiarum necessitatibus prouidere, auctoritate præfentis Concilij firmiter & districte præcipimus, ut singuli plura beneficia possidentes, aut recepto ultimo sint contenti, aut in ipso proximo prouinciali concilio, seu Episcopali Synodo, quem terminum ipsis peremptorium assignamus, legitimis documentis edoceant, secum esse per eum, qui de iure hoc facere potuerit, dispensatum, alioquin nos tam formam Canonum, circa hoc traditam, quam statutum bone memoria Domini Guidonis Cardinalis quendam in prouincia nostra A. S. L. prouidere curabimus beneficiis & personis.

Eadem mente Augustana anno 1548. c. 11. Quicumque, vel cupiditate vel quouis etiam honesto colore impellente, plura beneficia ecclesiastica obtinent, hoc nostro mandato iubentur, sicuti districte præcipiendo mandamus, ut retento quod ex illis maluerint unico beneficio, cetera intra annum resignent, aut nobis vel deputatis ad hoc nostris, dispensationum suarum priuilegia huiusmodi ostendant. Quod nisi debita obedientia præstiterint, sciant se ex nostra diligentia in recta & vera ecclesiasticorum beneficiorum dispensatione adhibenda, inobedientia aut cupiditatis sua pœnas legitimas suscepturos.

Pluralitas
beneficiorum
est ecclesie
calamitas.

Et Moguntinum sub Sebastiano c. 64. de curatis potissimum agit. Res ipsa loquitur, plura beneficia, potissimum quibus animarum cura submissa est, non sine grauissimi damno ab vno obtineri, cum vnus in pluribus eccle-

siis vite officia per saluere, aut rebus earum necessariam curam impendere nequeat. Nos igitur, iuxta reformationis commonitionem, contra hanc ecclesiarum calamitatem velut salubre remedium, illud Lugdunensis Concilij decretum opponentes, singulos eiusmodi curatorum beneficiorum detentores monemus, & districte eis præcipiendo inungimus, ut intra trimestre tempus, post huius Synodi prouincialis exitum, nobis aut com-prouincialibus nostris, locorum ordinariis dispensationes, quarum prætextu eiusmodi beneficia obtinent, exhibeant. Quod si fecerint, talia beneficia quasi eo ipso illicitè obtineri conuincantur, post trimestre tempus elapsum, per eos, ad quos collatio eorum pertinet, aliis personis idoneis conferri debent. Quod si dispensatio alicuius legitima & sufficiens videbitur, is beneficium sine molestia retinebit. Nihilominus tamen prouidebit, per idoneorum vicariorum deputationem, & congrue portionis fructuum assignationem, ne cura animarum in his ecclesiis negligatur, nec ipsa beneficia debitis officiis fraudentur: Alioquin negligentia eius, per ordinarium de fructibus beneficii suppleri, & ipse insuper subtractione certæ portionis reliquorum fructuum, pro arbitrio ordinarij, puniri debet. Sin dispensationes inualide, aut non satis legitime visæ fuerint, si is qui earum prætextu plura beneficia curata obtinuit, vno retento, cetera libere resignare recusauerit: causa illius ad sedem Apostolicam referatur, eiusdemque iudicium expectetur, quem sui beneficii modum esse velit. Quod si quis in diuersis diocesis eiusmodi beneficia curata obtineat, a quolibet ordinario ad talem exhibitionem compelli debet. Et si legitima dispensatione munitus non fuerit, ultimo quod accepit beneficio retento, cetera resignet: cum iuxta iuris communis dispensationem, per subsequens beneficii curati acceptationem, quod prius obtinebat, ipso iure vacare dignoscatur.

Eodem modo Concilium Tridentinum sess. 7. c. 2. 3. 4. Nemo, quacunque etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas seu Cathedralis ecclesias, in titulum, siue commendam aut alio quouis nomine, contra sacrorum canonum instituta, recipere & simul retinere presumat. Cum valde felix sit ille censendus, cui vnâ ecclesiam bene ac fructuose, & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit. Qui autem plures ecclesias contra præfentis decreti tenorem nunc detinent, vna, quam maluerint, retenta, reliquis infra sex menses, si ad liberam sedis Apostolicæ dispositionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur: alioquin ecclesia ipsa, ultimo obtenta duntaxat excepta eo ipso vacare censentur.

Inferiora beneficia ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, ac per se ipsos curam exercere valeant, iuxta constitutionem Alexandri tertii in Lateranensi, quæ incipit, *Quia nonnulli*; & aliam Gregorii decimi in generali Lugdunensi Concilio, quæ incipit, *licet canon*, editam conferantur. Aliter autem facta collatio, siue prouiso, omnino irritetur: & ordinarius collator pœnas constitutionis concilij generalis, quæ incipit, *grane nimis*, se noverit incursum.

Quicumque de cetero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica, siue per viam vnionis ad vitam, seu commendam perpetuæ, aut alio quocunque nomine, & titulo, contra formam sacrorum canonum, & præsertim constitutionis Innocentii tertii, quæ incipit, *Qui multa*, recipere ac simul retinere præsumserit, beneficiis ipsis, iuxta ipsius constitutionis dispositionem, ipso iure, etiam præfentis canonis vigore, priuatus existat.

Idem Concilium tamen sess. 24. de omnibus sic statuit c. 17. Cū ecclesiasticus ordo perueratur, quando vnus plurium officia occupat Clericorum; sacris canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi. Verū quoniam multi improbe cupiditatis affectu seipsos, non Deum decipientes, ea, quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt: sancta Synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præfenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiam si Cardinalatus honore fulgeant: mandat obseruari; statuit ut in posterum vnum tantum beneficium ecclesiasti-

cum sim-

Si unum
non est suf-
ficiens aliud
addi potest.

cum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam eius, cui
conferatur, honeste sustentandum non sufficiat: liceat nihilomi-
nus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem
residentiam non requirat, eidem conferri. Hacque non modo
ad cathedrales ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam
secularia, quam regularia quaecumque, etiam commendata, per-
tineant, cuiuscunque tituli, ac qualitatis existant. Illi vero, qui
in praesenti plures parochiales ecclesias, aut unam cathedralem,
& aliam parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque,
dispensationibus, ac vmonibus ad vitam, non obstantibus, una
tantum parochiali, vel sola cathedrali retenta, alias parochia-
les infra spacium sex mensium dimittere: alioquin tam paro-
chiales, quam beneficia omnia, quae obtinent, ipso iure vacare
censeantur; ac tanquam vacantia libere aliis idoneis confe-
rantur: nec ipsi ante illa obtinentes, tuta conscientia, fructus
post dictum tempus retineant. Optat autem sancta Synodus,
ut resignantium necessitatibus commoda aliquaratione, prout
summo pontifici videbitur, provideatur.

Leges illa
obligant.

Cum igitur lex illa à multis conciliis sit constituta,
firmata, acceptata, cum iura secundum eam decer-
nant; cum etiam finis eius grauis sit, sequitur eam ve-
hementer obligare, inuiolateque seruandam esse.
Quia tamen lex positua est, & Ecclesiastica, potest
summus Ecclesiae pastor in ea dispensare, quod leges
ipsae satis indicant, cum vetant habere sine dispen-
satione plura beneficia. De hac dispensatione igitur
dicendum; neminem enim esse puto, qui plura ha-
beat sine pontificia dispensatione. Verum dispen-
satio an legitima sit maxime animaduertendum est,
sunt enim saepe dispensationes verbo, re ipsa dispa-
rationes. Interdum in foro exteriori sunt validae, quia
refutari non possunt, in conscientia criminosa, quia
iustam causam non habent. Qui tamen plura possi-
dent, tenentur vigore consilii Tridentini luas dispen-
sationes ostendere. Sane fortiter, & religiose eam
rem vrsit in Concilio Augustano Cardinalis, & Au-
gustinus Episcopus Ortho. Qui requirit dispensatio-
num diplomata. Et addit, si qui vero post hac sedis Apo-
stolica dispensatione plura beneficia obtinuerint, compertumque,
a nobis fuerit, eidem sedi (quae in literis, concessionibus, privile-
giisque suis rationes causasque honestas & necessarias, prout
suggerit ei fuerit, sequi consuevit) illud ab impetrantibus
fuisse, hi sciant nos sanctis, domino nostro melius informato di-
spensationum huiusmodi reuocationem procuraturos. Vnde
statuimus & ordinamus, ut in posterum nullus, cuiuscunque
gradus, aut dignitatis fuerit, ad alterius aut plerumque benefi-
cium possessionem admittatur, nisi nobis tanquam ordinario lo-
ci, dispensationis eiusmodi literas, pro sedis Apostolicae dignitate
conseruanda inspicendas, prius exhibeat, Bonifacii IX. & Leo-
nis X. maximorum pontificum constitutionibus semper saluis.
Et si dispensatione dignus videbitur, nihilominus statuimus, ut
tales, aut alij quicunque ecclesiarum rectores & beneficiati, vi-
cariis suis tantam ex fructibus portionem relinquant, quantum
ad hospitalitatem seruandam, ad iura Episcopalia & Archi-
diaconalia persoluenda, aliaque onera ferenda sufficiat. Alio-
quin à suis beneficiis, reseruato tamen unicuique patrono aut
collatori iure suo, decernimus amouendos.

Dispensa-
tiones exa-
minanda,
quia causas
semper ad-
iungunt.

Merito sane; Dispensationum enim importuni
efflagitatores faciunt, ut nulla sit, quam accipiunt,
dispensatio. Vidi diplomata dispensatoria, quorum
initia, indicabant, ob magnam eruditionem, mul-
tosque labores pro Ecclesia toleratos, meritaque &
vitam exemplarem, de benignitate Apostolica, cuius
in tales viros praecipua debet esse affectio, cum vene-
rabili domino N. dispensari. At venerabilis ille do-
minus puer erat indoctus, prauae indolis, nec recte
instituebatur à suis, hic nulla fuit dispensatio, sed ar-
tificiosum sacrilegium, quo se parentes obtrinxerunt,
non puer; ille enim inficius, per procuratores
tanquam minorennis beneficio onerabatur.

Fraudes
dispensa-
tionum.

Quamobrem prudentissime de hac re statuit Cō-
cilium Colonienſe anno 1536. part. 1. c. 31. Odiosa ſem-

per apud veteres fuit plurium sacerdotiorum ambitiosa cu-
piditas, neque ſemel generalibus Conciliis damnata. In Chal-
cedonen. enim inter alia cautum eſt, clericum in duabus eccle-
ſiis conſcribi non oportere, quod difficile videatur, ut vnus vi-
cem duorum ſuſtineat: & abſurdum, ſi promiſcuſ artibus re-
rum turbentur officia. Id vero in primis noxium eſt, vbi plu-
res parochiae, ſeu dignitates vni preſbytero committuntur,
quod ſolus per omnes Eccleſias, nec officium perſoluere, nec re-
bus earum neceſſariam curam impendere valeat. Quare tam
eos qui de ſacerdotiſ eiſcemodi diſponendi poteſtatem habent,
quam qui ea caca cupiditate ducti ambiunt, commonitos vo-
lumus, ut ſuos affectus canoniciſ inſtitutiſ ſubmittant. Qui
vero diſpenſatione Apoſtolica aduerſus hac ſeruiri velint, hi
viderint, ut cauſam diſpenſationis obtenta, Deo comprobent.
Neque enim ſublimis, atque admodum litterataſ perſonas ſuo
privilegio nudamus, modo illo recte & ſecunduſ Deum vtiuntur.

Cupiditas
plurium be-
neficiorum
damnata.

Dispensationes vero excutiendas docet c. 33. Quam
impudenter plerique diplomatis ac dispensationibus apud ſe-
dem Apoſolicam extortis, prater ſummi pontificis mentem
(qui & vult & debet poteſtate ſibi conceſſa, non ad deſtructio-
nem, ſed ad adificationem vti) abutuntur, nullus eſt qui igno-
ret. Non prohibeo (inquit, quidam vir pius) diſpenſare, ſed diſ-
ſipare. Diſpenſatio quidem credita eſt, ſed hic iam quaeritur in-
ter diſpenſationes, ut fidelis quis inueniatur. Quamquam apud
illos maxima culpe pars reſideat, qui vel nulla, vel minus legi-
tima, vel etiam ficta cauſa, ſupplicatoriſ precibus inſerta, diſ-
penſationis lectorum tandem eliciunt, quos apud Deum, qui
renes & corda ſcrutatur, omnemque hypocrifiſm ac fraudem
execratur, ſecurus quis dixerit? Nemo tibi (ait idem ille quem
iam citauimus) de diſpenſatione Apoſtolica blandiatur, cuius
conſcientiam diuina ſententia tenet alligatam. Sed quia pa-
ci ſunt, in quorum conſpectu eſt Deus, plerique vero, qui ſacra
authoritate pro ſua libidine paſſim abutuntur: ſit, ut Lugdu-
nenſis Concilij, ſub Gregorio decimo celebrati, non inſalubre
decretum aduerſus inſolentiam eiſcemodi hominum in vſum
reuocare cogamur: quo ſubnixi, cunctiſ qui talibus diplomatis
ſibi blandiuntur, neceſſitatem imponemus literas ſuas nobis ex-
hibendi, viſuris, num rite impetrauerint, ac recte impetratiſ
viantur. Et ut quam maxime robuſta ſint diſpenſationeſ iſtae,
curabimus tamen, ut menti canonis ac ſummi pontificis ſatiſ-
fiat: Videlicet, ne animarum cura in hiſ eccleſiis, perſonatiſ
ſeu dignitatiſ, quas ſub hoc pretextu occupant, negligatur
nec beneficia ipſa debitis obſequiſ deſraudentur.

Statuto itaque, dispensationum, ut rate sunt, legiti-
mam debere esse causam, idque in lege, quae tot ca-
nonibus, tot conciliis firmata est, quae conſenſu or-
bis, & conuicio flagitatur, cuius ſeruandae cauſa ma-
net, manebitque ſemper, concludemus raro, vera, &
quae in caelis acceptata ſit, dispensatione plura bene-
ficia permitti.

Dispensa-
tionum iſta
cauſa ſit.

Quod si quispiam ex me quaerat, quae vera & legi-
tima ſit cauſa diſpenſandi, reſpondeo, haec eſſe.

Rara eſt le-
gitima diſ-
penſatio.

Primo. Neceſſitatem Eccleſiae: Nam Eccleſia
ob arata, in periculis conſtituta, poteſt ſibi potentem
Episcopum vicinum, aliumue poſtulare, ut defendatur,
ſumptu leuetur, in integrum reſtituatur, inobe-
dientes conuertat. Idem dicendum in magna Ec-
cleſiae vtilitate, & euidenti.

Cauſa legi-
tima diſ-
penſationiſ.

Nam quamuis illi praelato commoda accedant, om-
nia tamen ad Eccleſiae vtilitatem redundant. Hac
tamen in re duobus modis peccatur: 1. cum euident
aut probabile periculum non eſt, & ab alio caueri, &
propuſari poteſt. 2. cum ille potentior qui electus
eſt, non praestat id propter quod electus eſt, nec ideo
acceptat, ut hoc praestat.

Ad hanc neceſſitatis, & vtilitatis cauſam refero;
cuſ electione vnus, alter non idoneus, vel minus ido-
neus repellitur. Multi enim ſuſcipiunt magiſtratus
politicos, & praelaturas, non quia deſiderant, ſed ne
eo indigni prouehantur. Poteſt itaque diſpenſatio
legitime peti, & dari, qua Titius beneficium accipiat,
ne Caius haereticus, concubinaris, indoctus, ebrio-
ſus, dila-

sus, dilapidator, iracundus illud innadat. Verum hæc sincere coram Deo, non amore sui, aut odio aliorum facienda sunt.

Secundo. Necessitatem eius, qui plura accipit, legitimam dispensationem esse affirmo. Si enim vnum ad honestam sustentationem non est sufficiens, duo, aut tria etiam habere concessum est. Nam iustum est, ut qui altario seruit, de altario viuatur. Hoc ad eos igitur restringo, qui in Ecclesia vigilanter deseruiunt. 1. q. 2. clerici & distincti. 86. Non satis. His igitur victus & vestitus debetur, & ille honestus, ut seruis Dei, utpote presbyteris, ut hospitalibus, utpote qui elemosynam dare debeant. Olim illis quorum opulenta erant patrimonialia, Ecclesiarum beneficia non dabantur. 1. q. 2. Clericos autem illos conuenit ecclesie stipendiis sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem alium iudicium sibi manducant & bibunt.

Hæc canon ille & sequentes inculcant, at constituto ecclesie ordine, visum est, etiam diuites, si labores pro ecclesia subeant, si diuinis officiis vigilanter insistant, ab ecclesia accipere remunerationem.

In hac necessitate est expendenda conditio personarum, loci, aliarumque ad rem pertinent. Beneficiū enim quod cui sufficit, nobili viro non sufficit; & quo nobilis honeste, & decenter viuere posse censetur, committi, vel duci parum fuerit. Possunt enim, imo debent eiusmodi plures sumptus facere; quia vero & talium opera indiget ecclesia, ita eorum obsequia componat, ne statu abdicare se, aut agnatis pudori esse cogantur; cum enim Episcopi, atque adeo Republicæ in nobiliores exules liberaliores esse debeant, cur non etiam in sacerdotes generis claritudine fulgentes, quibus cum vna præbenda non sufficiat, plures concedi possunt, ut conuenienter generi, statuique domum & familiam instituire valeant.

Verum hic iam late via panditur, ad beneficiorum accerum, cum nobilitas extollitur, & dignitatis nihil satis esse videtur. De quo ita iudico. Ad viuum hæc, & teruncium recidi non posse, nec debere, nec enim ecclesia rationum seuera exatrica est, nec pontifex *in uero uelut*, ut minima quæque rescindat; quandoquidem enim Episcopi consiliiarii, & sacrasplendidi alunt, non debet nobiliora sua membra velut mercenarios alere Christi ecclesia.

Generatim igitur nobili canonico satis fuerit, quo alii nobiles canonici sese honeste alunt, hospitalitatemque exercent, eo quoque ille contentus esse debebit. Vbi igitur ecclesie cathedrales, vel collegiatae sunt, in quibus nobiles vno solo beneficio contenti decenter viuunt, non possunt alii nobiles eiusdem status plura obtinere, & dispensatio ratione sustentationis causā carebit, ideoque erit apud Dei tribunal inualida. Eadem ratio est baronum, comitum, ducum, quamuis vix sit ecclesia quarum vna præbenda illorum statui sufficiat. Non igitur tui sua dispensatione esse possunt, qui quina aut sena beneficia opulenta tenent, quorum quodlibet viro nobili decenter sustentando satis est. Sex enim nobiles seruire pro vno possunt ecclesie. Multo vero grauius delinquit, qui negligenter ecclesie deseruit, aut opes illas in res superfluas, ut splendorem domus, ditandam familiam, ædificationes impendit.

Tertio. Legitima etiam causa est dispensandi, eius, cui dispensatio conceditur, meritum, imo & parentum. Quo in genere multa sunt: Si ille vel parens in defensione ecclesie damnum fecit, si lucra commodaque deseruit, si legationes obuiuit, si alia præstitit, quæ vel ad spiritalem, vel temporalem utilitatem ecclesie momentum attulerunt. Nam Ecclesiam benemeritis gratiam reddere honestum est; cum vero suis patro-

nis, militibus, ducibus integras regiones in feudum concedat. Cur non etiam ecclesiasticis plura beneficia permittat, si id illi meriti sint? Addo sic plurimis ad bene merendum animos accendi.

Quarto. Potest etiam insignis alicuius eruditio id mereri, ut pluribus instruat ecclesie emolumentis; nam dantur illa in diligentia, & laboris præmium, & ad alios incitandos; cum euident sit, ecclesiam sine accuratissima studiorum diligentia non posse consistere. Laborem autem, & studia compensari oportet. Itaque canonico nobili si Theologus, si iurisperitus sit, si eloquentia polleat, si in variis linguis sit versatus, quamuis ex vna cathedrali præbenda viuere sufficienter possit, modo vir prudens, & vitæ inculpata sit, aliud etiam cathedrale beneficium vltro offerri cum dispensatione poterit; non modo ob præmium tam honeste collocatæ iuuentutis, & incitamentum aliorum, verum etiam, quia eiusmodi consilio, operaque plurimum prodesse possunt, ornamento sunt ecclesiis, earumque dignitatem tuentur. Idem etiam iudico, de aliis aliarum ecclesiarum canonicis eruditis: De eruditis, inquam, non qui doctoratum bullas imperitiæ suæ præpandunt.

Extra hos casus nego vel centum pelles diplomata quietam reddere conscientiam posse. Imo in hisce ipsis probo auream mediocritatem. Neque enim fieri potest, ut legitime in aliquem canonicum quamuis nobilem aut doctum, aut bene meritum decades optimarum præbendarum conferantur; cum eruditio auaritiæ conciliatrix esse non debeat, & nobilitatis in erogando, non acquirendo decus elucescat, merita autem, quæ ecclesiam grauant, amittantur. Qui igitur per hebdomadas beneficia disponit, qui soli redditus capiunt integræ ecclesie collegiatae, eos non modo ratio bonorum ecclesiasticorum, sed fraus extortæ dispensationis illaqueabit. Quo enim iure ab ecclesia vnus homo tantum capit, quanto viginti illi pares possent honeste sustentari? Scio offensum ire quosdam, & magnos quidem; sed veritas apud magnos & paruos eadem est. Ideo Concilium Tridentinum expresse omnes quacunque dignitate fulgeant, etiam nominatim S.R.E. Cardinales complectitur; quo ostendit ne illos quidem per vllam dispensationem posse grandes opes possidere. Nam mediocres quosdam redditus sufficere cardinalitatis dignitati, probant multorum Episcoporum, & Archiepiscoporum moderatæ possessiones & sumptus, imo multorum cardinalium. Ut vero vnus cardinalium tantum possideat, quantum decem alii, idque ex bonis ecclesie, nec æquitas admittit, nec dispensatio efficere potest.

Hæc itaque res perniciosa est, de qua sine detestatione canones nunquam loquuntur. Nam ecclesie ministri subtrahuntur, pauperum alimenta vertuntur in luxum, animæ accipientium pereunt.

Remedium est, ut late à patribus leges seruentur omnes; sed præcipue, ut cum quispiam dispensationem postulat, ætatem, genus, beneficiū, redditus eius quod habet, & quod petit, minutatim describat. Deinde causam adiungat, cur in lege tam seuera petat dispensationem, eamque probet: Quæ examinata, si dispensatio detur, tum demum Episcopali iudicio res permittatur, ut videat in loco, ubi beneficium, aut dispensationis sollicitator est, an vera causa sit pontifici proposita; Quod si Episcopo, aut commissariis nolit pontifex rem committere, possessio tamen ne detur, donec ecclesia plene Pontificem informarit. Quod si causa Pontifici reddita, non probetur, non modo à beneficio repellatur, sed insuper etiam multetur, ut qui iniquæ dispensationis sollicitator fuerit.

Mihi cum hanc sententiam dicerem, non nemo obiecit multis in locis consuetudinem diuersam esse, & hæc ipsa duriter accipienda; sed cum dicerem etiam posse

Erudito possunt plura dari, cum dispensatione.

Causa legitima dispensandi intra mediocritatem maneat.

Magna opes damnata.

Remedia contra auaritiam clericorum.

Nō ego, sed canonici seueri sunt, posse

et seruandi
tamen sunt.

Improbis
plerumque
extorquet
dispensatio-
nem.

Dispensa-
tiones exa-
minanda.

posse mandari, ut reddant, qui plura obtinent, nega-
uit id fieri posse, sed cum extrauag. de praebeendis &
dignitatibus ostenderem tit. 3. sententiam approbavit.
Quam ob causam eam huic loco adscribam. Execra-
bilis quorundam tam religionum quam secularium ambitio
qua semper plus ambiens eo magis sit insatiabilis, quo sibi am-
plius indulgetur, & improbitas importuna petentium à nobis &
praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus non tam obtinu-
isse, quam extorxisse plerumque, noscuntur, quod vnus interdum
etiam ad vnum beneficium ecclesiasticum minus idoneus in di-
uersis ecclesiis nedom vicinis, sed etiam ab inuicem longe distan-
tibus, immo nonnunquam in diuersorum regnorum partibus
situatis, duas aut tres, aut plures dignitates, personatus, officia
seu Prioratus: aut diuersa ecclesiastica beneficia curam anima-
rum habentia possit dispensatione cum aliis non liceret de iure
communi recipere, & simul licite retinere: Vnde inter cetera
inconuenientia subscripta sequuntur: quod videlicet interdum
vnius, qui vnicum quamuis modicum vix officium implere suffi-
ceret, plurimorum sibi vendiceret stipendia quae multis literatis
viris vitae puritate ac testimonio bona fama pollentibus qui mō-
dicant, possent abunde sufficere aqua distributione collata ha-
bentibus ipsa paratur vagandi materia, diuini cultus minui-
tur, hostis alitas in ipsis beneficiis debita non seruatur. Et dum
non sunt sui in vnaquaque regione rectores ecclesiarum detrahi-
tur commodis & honori, quae carentes defensorum auxilio in
viriis suis & libertatibus multipliciter collabuntur, & ruinis
patent adificia nobilia quae magnificencia extruxerat decesso-
rum & (quod amarum est dolendum) animarum cura negli-
gitur, & vitiis sensibus fomentum periculose praebetur. Nos
itaque, tot tantisque discriminiis occurrere cupientes omnes &
singulas dispensationes super receptione aut retentione plurium
dignitatum, personatum, officiorum, Prioratum, aut benefi-
ciorum quibus cura animarum sit annexa, sub quacunque forma
vel expressione verborum à nobis vel praedictis praedecessoribus,
cuiusque persona concessus (Cardinalibus tamen sanctae Roma-
nae Ecclesiae qui circa nos vniuersali ecclesiae seruando singula-
rum ecclesiarum commoditatibus se impendunt, ac regum filiis,
qui propter sublimitatem eorum ac generis claritatem sunt po-
terioris prerogatiua gratiae attollendi, dumtaxat exceptis) delibe-
ratione super hoc cum fratribus nostris habita diligenti de ipso-
rum consilio & ex certa scientia nostra in forma subscripta du-
ximus taliter moderandas quod per moderamen nostrum effra-
natam circa easdem personas talium beneficiorum multitudine
refrenemus, ipsique impetrantes fructu dispensationum hu-
iusmodi totaliter non frustrantur. ¶ Statuimus itaque, & de
fratrum ipsorum consilio ordinamus, quod obtinentes nunc ex
dispensatione legitima pluralitatem huiusmodi dignitatum,
personatum, officiorum aut prioratum seu beneficiorum quae
alias absque dispensatione obtinere nequebant, vnum tantum ex
dignitatibus, personatibus, officiis, prioratibus, ecclesiis vel bene-
ficiis huiusmodi, quibus cura imminet animarum cum digni-
tate, personatu, vel officio, prioratu, ecclesia vel beneficio sine cu-
ra, quae habere maluerit, praetextu dispensationis sufficiens cir-
ca id eisdem indulta, possint licite retinere: Quae tamen tenean-
tur eligere intra mensem numerandum à tempore notitia con-
stitutionis istius: ceteris beneficiis cum cura vel sine cura, quae
ipsius dispensationis praetextu tenebant, & quae aliter non pote-
rant de iure absque dispensatione licite retinere, quae nos ex tunc
vacare decernimus, coram ordinario sub testimonio publico in-
tra idem tempus verbaliter & realiter cum effectu dimissis, absque
eo quod ad illa numquam sine noua collatione ab eo qui facere
poterit facienda, redire aut eorum administrationi se immisce-
re praesumant: Alioquin tam his quam omnibus aliis beneficiis,
quae virtute huiusmodi nostri moderaminis retinere poterant
(ut praefertur) sint ipso iure priuati, & prorsus inhabiles ad si-
milis beneficia obtinenda. Per hoc autem iis qui dignitates,
personatus, officia vel alia beneficia curam animarum habentia
ex dispensatione, quae ius tribuat iuxta nostram moderatio-
nem praescriptam obtinent, & alia similia beneficia nostrorum,
vel alia eorundem praedecessorum auctoritate litterarum ex-
pectant: Cum quibus est, ut illa cum vacauerint, recipere, & vna
cum obtentis retinere licite valeant, dispensatum, notuimus de-

rogari, quia ea cum vacabunt infra dicti temporis spatium pos-
sint eligere, & dimissis aliis recipere in forma praescripta, ac li-
cite retinere: penas similes incursum, si huic nostrae contraire
praesumpserint sanctioni. ¶ Porro quia quorundam oculos sic
auare cupiditatis vitium excacauit quod plurima talia benefi-
cia simul absque dispensatione canonica retinere praesumunt: Nos
de illis praesenti decreto statuimus, ut omnia & singula benefi-
cia sint detenta, illo tamen retento, quod ultimo receperunt,
dummodo in eo ex collatione canonica competat ius eisdem, in-
tra tempus (ut praescribitur) limitatum verbo & facto ac sine
fraude coram ordinario sub testimonio similiter publico dimit-
tere teneantur. Quod si non fecerint, etiam illo sint ipso iure pri-
uati, in quo ius eis alias competebat, & inhabiles penitus ad qua-
cunque obtinenda beneficia ecclesiastica censentur. ¶ Qui ve-
ro deinceps receperint dignitatem seu personatum vel officium,
aut aliud beneficium animarum curam habens annexam, si
antea simile beneficium obtinebant, illud (quo ipso iure post-
quam secundi possessionem habuerint, vel per eos omni dolo &
fraude cessantibus quo minus habent steterit, priuati noscuntur
absque mora dispendio) in ordinariis manibus dimittere
debeant pari modo: Alioquin ex tunc sint ipso iure secundo pri-
uati, & nedum ad sacros suscipiendos ordines, quin etiam ad ha-
bendum quodcunque beneficium ecclesiasticum inhabiles repu-
tentur. Quae omnia & singula beneficia vacatura (ut praemi-
tatur) vel dimissa nostra & sedis Apostolicae dispositioni de ipso-
rum fratrum consilio referuamus. Inhibentes ne quis prater
Romanum pontificem quacunque sit super hoc auctoritate mu-
nitus de huiusmodi beneficiis disponere, vel circa illa per viam
permutationis, vel alias immutare quoquo modo praesumat.
Non enim si fecus actum seu attentatum fuerit, irritum decer-
nimus & inane. ¶ Ceterum ordinarios intelligimus in casti-
bus praedictis episcopos in quorum ciuitatibus vel diocesis
consistunt beneficia seu aliquod eorum, quae debent secundum
praemissa dimitti, aut ipsi qui ea debent dimittere commoran-
tur, vel ecclesiis cathedralibus vacantibus capitula eorundem:
& hi de beneficiis tam dimissis quam (ut praemittitur) perditis,
nos vel Apostolicam sedem certificare studeant quamprimum
commode poterunt indilate, ut de illis salubriter disponere va-
leamus. ¶ Quantum autem ad modificationem attinet ante
factam: illa dumtaxat & non alia beneficia ecclesiastica quo-
cunque nomine nuncupentur, curam animarum habere censemus,
quae parochias habent, in quibus est animarum cura: non per vi-
carios perpetuos, sed per rectores aut ministros beneficiorum ipso-
rum vel illorum temporales vicarios exercenda: nec non & illa
quorum ministris ratione beneficiorum huiusmodi competit
visitare, inquirere procuraciones, recipere, suspendere, excom-
municare seu ab excommunicationis & suspensionis sententiis
absolvere de consuetudine vel de iure iuribus aliis de animarum
cura loquentibus in suo robore quo ad cetera permansuris.
Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum
moderationis statutorum, constitutionum, reservationis inhi-
bitionis, & voluntatum infringere vel ei ausu temerario con-
trahere. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indigna-
tionem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Aposto-
lorum eius se noverit incursum. Datum Auiioni 13. Ca-
lend. Decembris, anno secundo.

Lex 10. Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam
in ordinibus constitutus ante decimum quartum an-
num beneficii possit obtinere. Sancta lex, at non ser-
uatur, episcopatus in cunis, & vagitu suo parentes co-
demnant. Vide Trid. sess. 23. c. 6. Regula Cancellariae
est, ne cathedralium prouisiones ante 14. annu valeant.

Lex 11. Omnes fidei profiteantur iuxta Trid. &
liber ea de re scriptus in cathedrali ecclesia asseruetur,
ut in conc. Aquileien. de fide profitenda. Hoc enim
Germaniam corripit, quod sine morum & religio-
nis examine ad beneficia dimissi sint canonici.

Lex 12. Omnes qualescunque officia, & ordines
quos debent, per se ipsos exercere teneantur Concil.
Trid. sess. 22. c. 4. Si enim indignas preces, cantus, ca-
rimoniarumque humilitatem sua maiestate censent,
cur aliis ista facturis indigne fructus praeripiunt? De
Christi.

Ne Episco-
pentur in
cunis.

per se offi-
cia singuli
faciant.

Christi patrimonio splendidi esse volunt, & ob hunc splendorem, indignum suae dominationi, nobilitati, spectabilitati arbitrantur, si Christo, à quo pascuntur, seruiant.

Lex 13. Concilii Basileensis sess. 31. decreta feruentur, quae salutaria, & multa in eo legantur.

Lex 14. Omnes praebendae cathedrales habeant annexum ordinem maiorem. Quod iam fere in omnibus obtentum est, cum ad consilium, siue capitulum admittuntur.

Lex 15. Cathedrales Episcopo subiaceant quoad censuram morum, alioqui eorum iurisdicção, bonorum administratio intacta illis relinquatur. Qua de re supra dictum est.

Lex 16. *Quicumque*, (Concil. Basileens. sess. 21. de his qui tempore diuinorum vagantur per Ecclesiam) in Ecclesia beneficiatus, praesertim de maioribus, diuinorum tempore per Ecclesiam vel foris circa ipsam deambulando, aut cum aliis colloquendo, vagari visus fuerit, non solum illius hora, sed totius diei praesentiam ipso facto amittat. Qui si semel correctus, non destiterit, per mensem distributionibus careat, vel grauiori (si perinacia exegerit) poena subiaceat, ita ut tandem desistere cogatur. Prohibeatur etiam, ne diuina officia tumultuosi quorundamque per Ecclesiam discursus impediunt, aut perturbent. Regulares qui in conuentualibus ecclesiis circa praedicta excesserint, graui superioris arbitrio castigantur.

Lex 17. Non sunt elocanda beneficia.

Quoniam enormis quaedam consuetudo in quibusdam locis contra sanctorum Patrum constitutiones inualuit, ut sub annuo pretio sacerdotibus ad Ecclesiarum regimen constituantur: id ne fiat, modis omnibus prohibemus. Quia dum sacerdotium sub huiusmodi mercede venale disponitur: ad aeternam retributionis premium consideratio non habetur.

Lex 18. Annatis non grauanda, multo minus pensionibus, reservationibusque. Extenuant enim fructus beneficiorum, ut cum maxime egent clerici, frui illis non possint.

Lex 19. Nō diuidenda, nisi ubi ingentes redit⁹ pro vno, tenues pro reliquis. Multis quoque monet Alexāder 3. vniplura beneficia non cōmittenda, nec vnum inter plures diuidendum. in app. Lateran. 3. parte 30.

Lex 20. Turnorū licentia omnino corrigatur, ut est in sess. 24. Trid. c. 14. Imo omnes Turnarii iurent, se legē (quae est 8. q. 1. *Moses*) seruatuuros, & in beneficio potius vitā meritum, quam consanguinitatis gradū spectatuuros; nunc crebro viri boni, quantum Ecclesiae vita sua aedificant, tantū agnatorum vitis destruunt.

Deniq; ad Dei gloriam haec dirigenda sunt, neque beneficia habenda, ut dona principum, aut patrimonialia, aut quasi tantum sint ad iuuentutis, aut nobilitatis alimenta à maioribus fundata; Nam omnes patres, concilia, canones, omnium foundationum diplomata, iuramenta canonicorum, statuta capitulorum, conscientiae improborū diuersum omnino clamant. Testanturq; beneficiū dari propter officium: & tum demum iure fructus retineri, si in diuino obsequio seduli sint, & frequentes.

CAPVT XLII.

Opes Ecclesiarum magnas Religioni, & Politiae viles esse.

§. 1. SACERDOTIVM Deus in veteri lege honoratum esse voluit, quod decimae concessae ditissimum fecerunt, alia quoque tam multa adiuncta fuerunt, ut si legem Dei seruassent Iudaei, nulla fuisset tribus felicior Leuitica. Rem facili methodo ob oculos ponam. Numerorum 3. Leuitae recensentur viginti duo millia trecenti, quancūq; enim v. 39. tantū dicuntur viginti duo millia, singulares tamen summae 7500. & 8600. & 6200. efficiunt 22300. At trecenti omittuntur quia primogeniti erant, nec redimere alios poterant. Numerus autem filiorū Israel erat sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. E-

rant igitur Leuitae respectu totius Israelis, pars quasi vicecima sexta. Verū quia c. 3. num. Leuitae numerantur ab vno mense & supra, reliquarum vero tribuum c. 2. tantum viri pugnatores ab anno militari, hinc consequitur, filios Israel, si ab vno mense numerati essent, maiore proportionē superaturos fuisse, maximus enim puerorum numerus erat in gente, quam Deus cum Pharaone pugnans multiplicabat. Itaque nemo negabit Leuitas partem Israelis trigessimam non fuisse. At huic parti Deus maximas opes contulit, ut ceteros praes his pauperes quasi reliquerit.

Huic tricesimae parti Deus dedit non tricesimas, sed decimas. Cum autem abunde victus ceteris supeditaret, certe decimae abundantis populi, decimae parti sufficere potuerunt, at iam Leuitarū quisq; tres pro vna partes tenebat. Ita Leuit. 17. 30. Omnes decimae terrae, siue de frugibus, siue de pomis arborū domini sunt, & illi sanctificantur. Si quis autem voluerit redimere decimas suas addet quintam partem earum. Nec decimae frugum duntaxat, sed boum quoq; & ouium, ut ibidem habetur. Sic Num. 18. 21. Filii Leui dicit se dedisse omnes decimas.

Verum in decimis hoc quoque considerandū. Primo, Leuitas nec agros colere solitos, nec vineas, itaq; de labore populi viuabant. Hinc multo melior fuit eorum conditio, quam si decimam agrorum partem acceperant, labore enim & impendio opus fuisset. Secundo. Pecora educanda erant Israelitis, Leuitae iā ablaetata recipiebant. Tercio. Nec simplices erant decimae, sed triplices ut doctissime interpretatur noster Cornelius à Lapide in c. 14. Deut. v. 22. Ex hoc loco & ex Iosepho colligit Theod. hic quest. 13. Abul. Oleast. & Caiet. du-

plices decimas Iudaei quotannis fuisse praescriptas. Prima erant omnium frugum terrae, gregum & armentorum, quae tota dabantur Leuitis; neq; seruebatur in Ierusalem, sed Leuitae ad quos decimae Leuitis datae. ea pertinebant, colligebant eas per ciuitates sibi vicinas. ex hisce decimis, Leuitae rursum decimā pendebant Pontifici & Sacerdotibus, ut patet Num. 18. 26. & 28. ibi enim agitur de primis hisce decimis. Secunda decima erant illa quae quotannis Hebraei separabant, post primam illam dictā decimationem, ex nouem residuis sibi partibus accipiendo decimam, ut ex ea, euntes ad tabernaculum (quod ter in anno faciendū erat, ut patet Exod. 23. 17. & cap. 34. 23.) partim in itinere viuere, partim offerrent hostias pacificas, de quibus comederent coram Domino, vna cum Leuitis quos ad epulandum secum inuitabant. quod dixi de decimis hisce, idem dico de primitiis: quia post primitias quae tota cedebant Domino separabat sibi quisque aliquid, tantūq; primitias secundas, quibus vteretur ascensurus ad Dominum. Idem dico de primogenitis ouium & boum, videlicet post primogenitum Deo datum, Hebraeos separasse aliud animal in hostiam pacificam. idem dico de potis & donariis. De hisce ergo secundis decimis loquitur hic lex, vsque ad v. 28. de hisce etiam egit c. 12. 17. Tertia decima erant decimae, quae singulis trienniis separabantur, & dabantur pauperibus, viduis, pupillis, & Leuitis in modum elemosinae, ne ipsi ob paupertatem cogerentur seruire gentilibus à quibus facile induci potuissent ad idololatriam. De tertiis hisce decimis agitur v. 28. ubi dicitur: anno tertio separabis aliam decimam. Vnde patet, hanc non eandem fuisse decimam cum prima, quasi decima quae duobus annis Leuitarum erant propria, tertio anno iubeantur esse communes pauperibus aequae ac Leuitis, ut aliqui volunt; sed fuisse aliam, scilicet tertiam. ita enim vertit noster interpret. ita de Tobia dicitur cap. 1. v. 7. quod in anno tertio profelytis & aduenis ministraret omnem decimationem. Si Iudaei triplices, quidni Christiani vnas & simplices Deo dent decimas? Si Iudaei decimis suos alebant pauperes, quidni idem faciant Christiani? noui viros in republica magnos qui opum suarum imo omnis lucri sui decimas dant pauperibus, & ad id lege charitatis & religionis putant se quasi obstringi.

Primae igitur decimae integrae cedebant Leuitis, quas in vrbibus colligebant. Ex nouem residuis partibus iterū decimas separabant, easq; vel precii conferebant Ierolymā, ut ibi epularentur, inuitatis tamen Leuitis, ita enim c. 14. 27. & 28. Et epulaberis tu, &

Sacerdotiū
Leuiticum
ditissimum.

Leuitae
22300.